


CAPUT I.

De

Definitione & Divisione.

§. I.

 Irca vocabuli Fisci etymologiam variæ sunt opiniones, uti videre est apud M. Anton. Peregrinum *de jurib. & privileg. fisci lib. 1. tit. 1. n. 37.* Just. Meier. *colleg. argent. de jur. fisc. n. 3.* Matth. Martinium *in Lexic. Philolog. Rosin. antiquit. Roman. lib. 7. c. 36.* Dn. Ludwell. *disp. ad Inst. 10. 0. 5.* verum quia ad rem parum faciunt, proinde illas populo & Senatui Grammaticorum relinquo; sufficit hinc nobis scire, quodupliciter hoc vocabulum præcipue accipiatur. Denotat autem illud I. locum, ubi pecunia publica & instrumenta omnia patrimonii, quod Principi Romano, ad ejus dignitatem tuendam, & usus Imperii publicos tributum est, concluduntur. *Boc. de regal. lib. 6. 3. n. 1.* II. Sumitur pro re contenta, ipsa scil. pecunia publica seu fiscali. *Tholosan. lib. 31. syntagm. jur. univers. c. 31. n. 1.* add. *Gail. 1. obs. 20.* III. Denotat ipsam publicarum rerum universitatem, quæ omnes res, omniaque Reipublicæ jura ad commodum pecuniarium spectantia, complectitur; ita ut quod in privato est patrimonium, illud in Republica sit Fiscus; *l. 2. §. 4. ff. ne quid in loco publ* qui personæ vice fungitur, æquè ac hereditas, municipium, decuria & societas, *l. 22. de fidejussorib.* Hinc Fiscus succedere, contrahere, alienare, debitores suos convenire, & alia similia, per Procuratores scil. & Advocatos suos facere dicitur. *l. 3. §. 8. l. 5. l. 21. l. 28. h. r. & passim.* Et hæc significatio est hujus loci. Jus Fiscus etiam dupliciter accipitur. I. pro jure singulari, quo fiscus utitur. II. pro jure, quo quis habet fiscum, & pecuniam ad publicos usus destinatam accipit, acquirit, conservat & expendit.

§. 2.

Quantum ad synonyma, ea esse possunt, quod fiscus non tantum appelletur Camera, *in constit. Friderici, qui sint rebelles. in*